~~N° 3~~

Reisinger Chirurgien
de Msgr l'Electeur de Trèves

De Amputatione Extremitatum

Terribile est hanc Operationem subire, horribile videre eam perfici, in certis tamen circumstantiis absolute necessarium et ut unicum vitæ consulendi remedium superest.

Dantur enim morbi, dantur casus, in quibus æger hac Operatione non instituta vel citius vel serius perit.

Morbos, qui hanc Operationem postulant, in duas classes dividi licet.

Primæ classis sunt ii, qui mox aut brevi post accidens Operationem absolute exigunt, ubi periculum in morâ.

Secundæ sunt, quibus in progressu morbi tam gravia symptomata accedunt, ut ægri vita in summo periculo versetur, ad quam conservandam Amputatio ut unicum licet sæpe anceps remedium reliquum est.

Inter eos primæ classis habentur vulnera vasorum magnorum atque nervorum vario modo variisq. instrumentis inflicta, contusiones partium muscularium, aponevroseos, ligamentorum graves eorumq. dilaceratio ~~aut~~ aut destructio talis ut facultas organica circulationis restitui nequeat et pars infra sita in mortificationem abire debeat: fracturæ complicatæ vel in medio ossis vel prope articulationem vel in ea ipsa cum dilaceratione et comminutione tam periculosæ, ut sæpissime mox gangræna et sphacelus subsequantur:

luxationes cum dilaceratione partium mollium circumdantium et Convulsionibus conjuncto: Operatione & Anevrismatis veri aut spurii institutâ, ubi rami Collaterales circulationem atque Nutritionem partis infra ligaturam positæ continuare non sufficiant.
Secundæ classis sunt Exostoses, Osteosarcoma, fungi cancerosi, Caries, Spina ventosa, Hydrops Articulationis; quibus lento progressu morbi tam gravia Symptomata accedunt, ut continua irritatio, febris vehemens, Suppuratio copiosa, resorptio puris, dolor excrucians, Somni atque Appetitus defectus, Sudores, diarrhoea colliquativa, quæ omnibus remediis tentatis resistunt, et Amputationem ut unicum remedium tentandam relinquunt, quam aliquando cum Successu institutam fuisse Experientia tantorum Virorum constat.
Fatentur quidem Viri expertissimi, quod Summa judicii acritas atque Experientia in hac materia tam difficili decisu requirantur, ne Operatio absolute necessaria proponatur, quamdiu Spes adhuc servandi Vitam unacum membro superfuerit, neque ea tamdiu differatur donec Æger totus exhaustus Operationem subire nequaquam amplius valeat.
Non suscipio causas Amputationem petentes propius exponere; Principia, quæ a Viris celeberrimis data et experientia stabilita sunt, in materia tam gravi quemlibet ducere debent. Dissertatio illa, quam D. Bilgher Chirurgus generalis Copiarum Regis Prussiæ =

de membrorum Amputatione rarissime administranda aut quasi abroganda = edidit, principia solida perstringere non potest.

Nemo negabit, quod aliquoties Amputatio instituta fuerit, ubi membrum conservari potuisset: fortasse belli tempore excusatius aliquid fieri potest, quod rebus aliter positis excusationem non haberet. Verum Viro huic tam erudito quam experto non minus notum erit, quot homines hac Operatione conservati fuerint, qui sine ea verisimiliter periissent. Hoc Operatio quidem periculo gravi non vacat, sat tutum tamen est remedium quod unicum est.

Periculum Operationis in eo consistere videtur, non loquar quidem de hæmorrhagia quæ, si humorum dissolutio corpori insit, ex tota vulneris superficie scaturiens lethalis visa fuit; quod nempe vulnus tam magnum tantorum vasorum atque nervorum vehementem irritationem excitare debeat, cujus vehementia a majori minorive sensibilitate systematis nervosi multum pendet, et quæ vel convulsiones lethales vel gravem Inflammationem atque suppurationem vires ægri exhaurientem producit.

Attamen periculum non minus causæ Operationem indicanti perspice debetur.

Operationem in nimis robustis aut in iis, quorum vires nimium prostratæ jam erant, rare cum successu institutam fuisse observatum dicitur.

Diversæ circa hanc materiam exortæ sunt Opiniones.

Sunt, qui Amputationem mox post accidens fieri volunt, et sibi feliciorem inde Successum promittunt; Corpus mox post injuriam passum quasi integrum respiciunt, Systema Nervosum tranquillum et Vulnus Amputationis non tantam irritationem producere dicunt: periculosius longe esse affirmant Operationem differre, donec Symptomata primaria, irritatio febris, tensio, dolor, inflam̃atio, supervenerint, in quo Stadio Operatio nunquam convenit ob metum ne irritato jam Systemate nervoso omnia in pejus ruant, et in quo Ægri saepius succumbunt.

Sunt vero alii, qui hanc procedendi rationem penitus rejiciunt, atque protendunt, quod Amputatio in hac periodo instituta Symptomata primaria supraenumerata augeat et vehementiora reddat, dum Corpus mox post accidens pleno adhuc vigore gaudeat. praeferunt ii Stadium in quo Symptomata primaria cessarunt.

Unusquisque assertionem suam observationibus probat: Attamen videtur, periodum primam statim post injuriam acceptam praeferri debere, dum Æger vehementibus illis Symptomatibus, quorum saepissime victima est, non exponitur, et Amputationem in hac periodo institutam optimo cum Successu fuisse ex innumeris observationibus constat.

Si Operatio exspectationem Successus fefellit, ratio non ab ea nimis mature instituta, sed a laesionibus concomitantibus petenda fuit, ut aliqui Casus, quos observare licuit, me docuere. Haec non latius persequor, ad ipsam Amputandi methodum me converto.

Diversas omnino hanc Operationem perficiendi methodos Viri et ingenio et experientia Celebres excogitarent hoc quidem animo ut vel minus dolorum ægro Causent, vel ut Operationem ejusq. Successum Securiorem atque Certiorem reddant, vel ut Curam breviori temporis Spatio absolvant.

+ Methodus en deux tems, et en lambeaux, utraq. a Viris magnis recomendatæ in usum plerumq. receptæ sunt: de hac non loquar, de illa fusius dicam.

Inter recentiores est D. Allanson, qui methodum en deux tems tam strenue defendit atq. recomendat: differt ille tamen ab aliis in modo incidendi musculos et præcipue in deligatione post Operationem faciendâ.

Celsus præceptum dedit = Supraq. inducenda Cutis, quæ sub ejusmodi Curatione laxa esse debet ut quam maxime undiq. os contegat; quâ Cutis inducta non fuerit, id lineamentis erit contegendum =

Celeberrimus Petit primus Operationem en deux tems fecit, et aliis perficiendam suasit: Sic se exprimit = On doit Couper des Chairs le moins quil est posible, et des os le plus qu'on peut: plus on Conserve de Chairs plutôt l'os se recouvre. Souvent il n'exfolie point, la reunion est plus facile, la Cicatrice plus prompte et le malade est moins long tems en danger.

His principiis Methodus D. Allanson præcipue innititur.

Ad tres digitos infra locum ossis secandi Cutim incidit ad musculos subjacentes usq., eamque

abilis separat, reducta undique Cuti æqualiter Cultrum rectum musculis oblique adponit, eos Sectione æ[illegible] in Circulo perfecta ad os usque Scindit: quo facto Assistens Carnem manibus retrahit; Operator ipse Serrula quam proxime Sanæ Carni os procidit: Arteriæ ope tenaculi ex Carne protractæ filo Cerato Subligantur Sollicite evitando ne fibræ musculares aut nervi ligaturâ Comprehendantur: quâ factâ Superficies Vulneris Spongiâ Aqua tepida imbutâ lavatur a Sanguine, ac dein musculi et Cutis Supra os Sectum inducitur ut plane undique Contegatur: Vulnus lineam longitudinalem formans emplastris agglutinantibus alligatur, in uno alterove Vulneris Angulo, cui proxima Sunt fila ligaturæ pendent: insuper lintea et Compressum ex lino placento Simile Cerato illinitum apponuntur, hoc ope lanei cuculli Supra truncum obtensi et fasciæ laneo Circularis Continentur.

D. Alanson plus Cutis Conservat quam ad os contegendum primo intuitu necessarium Videtur, laxa esse debet Sub ejusmodi Curatione Cutis; dicit Celsus; tumefactioni accedenti facilius Cedit et Vulnus ea tectum manet. Obliqua Sectione æ[illegible] methodum en lambeaux imitatur, plus enim Carnis Conservat, et os altius procidere potest; On doit Couper des Chairs le moins qu'il est possible et des os le plus qu'on peut: hoc processu præcepta Celeberrimi Petit optime Sequitur. Arterias ex Carne protractas filo ligat, Sollicite evitans ne nervos quod dolores auget, neque fibras musculares Comprehendat quod irritationem vehementiorem et Suppurationem Copiosiorem producit.

Compressioni Arteriarum, quae ab aliis et praecipue inter recentiores a D. Theden Chirurgo Generali Copiarum Regis Prussiae ligaturae profertur, non est locus; cum intentioni reunionis obstat et certe ut corpus alienum agens irritationem excitare eamque augere debet, neque satis securus est ejus usus haemorrhagias praecavendi, aegro saepe tam perniciosas. Fatetur D. Theden ipse quod non obstante compressione sollicite applicata saepius haemorrhagia redierit; ad rem meam revertor: musculos et cutim supra os inducit ut lineam longitudinalem formet, in hoc Methodum en lambeaux sequitur, nisi quod ligaturam Arteriarum recomendat, quam defensores Methodi en lambeaux non solum inutilem sed et periculosam ob irritationem convulsiones subinde causantem existimant: Supra inducta cuti os contegitur, Souvent il n'exfolie point, la reunion est plus facile, la cicatrice plus prompte et le Malade est moins long tems en danger.

Deligationem suadet levem quae minimum irritat, fasciam laneam linteo praefert, dum lanea virtute elastica gaudens tumefactioni supervenienti facilius cedit et nullam compressionem ad partes exercet, contineat tantum, non constringat.

D. Allanson nova sua Methodo de Chirurgia bene meritum esse, felices Operationis successus quos aliis et mihi Londini observare contigit, probant.

Viginti duo Amputationes quas vidi, omnem

attentionem in me excitarunt, qualem exitum habeant: Non quidem omnes secundum methodum Alansonianam instituto fuerunt, successus erat talis, ut quisquis de prestantia novo methodi convinci posset.
Plurimo instituebantur ob cariem articulationum insanabilem, ob tumores scrophulosos in genu frequentissimos Londini, qui omnibus tentatis remediis resistentes tandem in suppurationem abière et symptomata hectica jam colliquativa causarent. Tres casus referam in quibus Amputatio mox post accidens grave cum successu perficiebatur.

obs: 1ª et 2ª

Homo 30 annorum sani et robusti corporis comminutionem utriusque cruris curru passus ad Nosocomium portabatur, Æger ad ante adventum suum multum sanguinis perdidit: ad salvandam vitam Amputatio utriusque femoris absolute necessaria existimabatur, quo etiam una hora et dimidia post læsionis tempus instituta fuit. Operatio, quo quidem Ægrum duobus membris tam magnis privabat, vito consulebat: in quarto post Operationem mense e Nosocomio dimissus ope grallarum et cruris lignei in uno latere satbene incedere poterat: in altero latere femur altius procidi debuit ob comminutionem articulationis genu, quod membrum artificiale adaptari difficilius reddebat: prominentia ossium sectorum fere nulla erat: Cura erat in initio Antiphlogistica, sed brevi post cortex peruvianus cum usu opii interposito totam absolvit, habita alvus liberatione, quo clysmatibus sollicitabatur:

Suppuratio praesertim in eo quo femur altius procidebatur latere copiosa fuit et largas doses corticis peruv. ad vires vitae sustentandas exigebat: saepius vidi aegrum postea, prominentia ossis sensim disparuit, quam primum corpus obesius fieri inciperet.

Obs. 3a

Le malade attaqué du tetanos le 14eme jour de l'operation terminé par la mort

Homo 36 annorum fortis et sani corporis comminutionem et dilacerationem ligamentorum cruris cum tarso passus in Nosocomium recipiebatur: Amputatio duas post laesionem horas infra genu instituta fuit. Symptomata valde lenia erant: omnia optimum successum pronunciabant: Antiphlogistica administrabantur et vespere granum j opii: decima quarta post operationem die vulnus maxime jam unitum, suppuratio parca, fila ligaturae praeter unum jam erant separata: hac die symptomata spasmi maxillaris primum animadvertebantur, quo nemo suspicatus fuisset, hoc tentata omnia remedia eludentia de die in diem increscebant ita ut verus tetanus et convulsiones totum corpus infestantes vigesima ab operatione die miserum e medio tollerent. Frictiones oleosae cum laudano liquido Sydenh: mixto ad tempora et genas, clysmata oleosa cum opio saepius injecta, opium in substantia propinatum nullum effectum praestitere, convulsiones sensim frequentiores et vehementiores: dosis opii, quod omnibus tribus horis ad gr. ij–iij in initio sumebat, omni hora praebebatur ita augendo ut versus finem grana quindecim omni hora sumeret: hoc dosis opii nec somnum nec remissionem convulsionum efficiebat, sudorem supra totum pectus et faciem copiosum gelatinosum frigidum provocabat,

pulsus frequens, durus, ad finem parvus et celer, summa inquies, facies hypocratica mortem proximam annunciabant, æger ad ultimum vitæ momentum justo ad omnia respondebat: tentata fuerunt balnea tepida in initio sed incassum, dein balnea frigida, quibus quamdiu inerat, nullæ convulsiones invadebant ægrum, et melius se habere videbatur, postquam autem ex balneo lectum petebat, scena fatalis convulsionum eadem erat.

Ex dissectione cadaveris nil habeo quod referam, vulnus maxime unacum osse unitum erat.

Ob cariem articulationis brachii bis amputationem humeri vidi, uterque æger vigesima secunda post operationem die sanati nosocomium relinquebant.

Amputationes infra genu breviter et secure sanatos observavi;

Duobus, quibus femur amputatum fuit, uni octava alteri decima post operationem die morbus variolosus attedit: eruptio variolarum erat copiosissima, cutis supra os modo descripto inducta seminata quasi variolis erat, ita ut ulterior applicatio emplastri adhæsivi locum non haberet; nihilominus uterque æger et ex morbo varioloso et ex operatione sine minima ossis prominentia sanati fuerunt.

Tres ex quindecim mortui sunt, duo ex spasmo maxillari et tetano, tertius exhaustus, in quo amputatio ob symptomata colliquativa instituta tanquam unicum remedium proposita fuit, quæ in aliis successu non caruit.

petite verole survenue a l'un le 8ème a l'autre le 10ème jour de l'operation.

Liceat mihi adjicere, quod non omnes methodum Allansonii sequantur Londini, neque etiam successus idem sit: quo plus cutis et carnis conservatur, eo citius fit reunio, eo brevior curatio est, febris eo minor, corpora enim aliena ad deligationem usitata vulneris superficiem non irritant et omnis accessus aëri prohibetur:

Sunt alii, qui labia vulneris, cutim nempe praeter emplastra adhaesiva suturâ interruptâ alligant, et successus ceteris paribus exspectationem superat.

Antequam hoc concludam, pauca de instrumentis dicam:

Tornaculum D. Morel plerumque in usu apud Anglos est.

Cutis assistentis manibus undique retrahitur; integumenta et musculi supra incisionem numquam fascia circulari figuntur.

Culter mediocris rectus curvo magno antea usitatô praeferri meretur, facilius regitur, incisio fit undique aequalis; curvus ad novam methodum omnino non valeret.

Ad incidendam carnem inter duo ossa positam culter est anceps parvus.

Acies autem cultri sit bene acuta, dolores diminuuntur et confusio evitatur.

Serrula quâ utuntur Angli maximam habet similitudinem cum ea, quae in operibus celeberrimi Petit sub figura ~~pr~~ prima, folio sculpturae 74 delineata exstat; monet vir hic celeberrimus dentes sint bene acuti et secantes, alternatim oblique positi (recti autem praeferendi sunt.) sic destructio et commotio vasorum substantiae reticularis optime evitatur, crassius sit folium serrulae versus dentes quam ad dorsum, sic in secando non tam facile coarctatur nec ~~et~~ sectio intercipitur.

Tenaculo ad Arterias ex Carne protrahendas plerumque utuntur Angli.

Liceat mihi ut Verbis concludam, quibus Clarissimus D. Louis Assertioni Suæ de prominentia Ossis in Amputatione precavenda finem ponit.

= Il y a dans les Operations de Chirurgie une infinité de petites Circonstances, qui ne paroissent pas d'abord fort importantes et dont cependant l'observation ou l'omission dans la Pratique ont des Suites considerables pour rendre la guerison plus prompte ou plus longue: pour attirer ou pour prévenir des Symptomes dangereux, pour garantir le malade de douleurs, ou pour les lui augmenter et le mettre en danger: Circonstances dont il faut par Consequent examiner avec Attention les bons et les mauvais effets et touchant les quelles ceux qui traitent ces matieres en Vüe de l'utilité publique doivent donner les avis necessaires =

n° 63